

Dissertatio inauguralis medica de medico naturae ministro ... / [Johann Nikolaus Grosholtz].

Contributors

Grosholtz, Johann Nikolaus.
Nenter, Georg Philipp, -1721. Epistola de statu medicinae modernae.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Typis viduae Joh. Friderici Spoor, [1713]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/akajmvuc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

I. N. J.

34

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

MEDICO
NATURÆ
MINISTRO

QUAM

AUSPICE DEO TRIUNO
ARCHIATRO SUMMO,

CONSENSU ET AUCTORITATE

INCLYTÆ ET GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ

IN ALMA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI,

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT

JOHANNES NICOLAUS GROSHOLTZ,
BADENA - MARCHICUS.

Ad d. Mensis Februar. 25. M DCC XIII.

ARGENTORATI,

Typis Viduæ JOH. FRIDERICI SPOOR.

MEDICINA
NATURAE
MINISTRO

QUAM
AUSPICIO DEO TRINUM
ARCHIAURO SUMMO

CONSTITUTAE AUCTORITATE
INCLYTAE ET GRATISSIMAE
FACULTATIS MEDICAE
IN ALMA ARGENTORATENSI UNIVERSITATE

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRAEVIORUM DOCTORALIA
RITIBUS CAPESSE
SOLAMUS PETITUM FERAMUS

JOHANNES NICOLAUS GROSCHOLTZ
BADEN-MARONICUS
ANNO DOMINI 1774. M. CC. LXXIV.

ARGENTORATA
Typis Viduae Joh. Friedrichi Steor

V I R O

PERILLUSTRI DOMINO

D O M I N O

JOH. BAPTISTÆ

DE

KLINGLIN,

LUDOVICI MAGNI

REGIS CHRISTIANISSIMI

CONSILIARIO

EXCELLENTISSIMO,

ILLUSTRIS REIPUBLICÆ

ARGENTORATENSIS

PRÆTORI SUMMO

UNIVERSITATIS

PROTECTORI

GRAVISSIMO.

NEC NON

ILLUSTRI SCHOLARCHARUM
COLLEGIO

VIRIS

GENEROSISSIMO MAXIMEQUE

STRENUO, MAGNIFICIS, CONSULTISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS, AMPLISSIMIS

DOMINO

JOH. JACOBO WURMBSER,

à Vendenheim Reipubl. Reg. Argent. Præ-
tori ac Quindecim Viro Gravissimo, Can-
cellario Universitatis Eminentissimo.

DN. JACOBO WENCKER,

Reipubl. Argent. Consulari, Tredecim Viro
ac Universitatis Scholarchæ Meritissimo.

DN. JOH. REINBOLDO

FRIDERICI, Reipubl. Argentor.
Consulari Tredecim Viro ac Universitatis
Scholarchæ Gravissimo.

Dominis Macenatibus ac Patronis summis.

Qualem cunque hancce Dissertationem Inauguralem
humillima mente ac omni animi submissione

D. D. D.

TANTORUM NOMINUM

humillimus Cliens

JOH. NICOLAUS GROSHOLTZ, Badena-Marchicus.



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

Dispicienti mihi, quamnam pro Dissertatione Inaugurali eligerem potissimum materiam, inter multas alias, partim utiles, partim curiosas, nulla magis, quam de Medico Naturæ Ministro arrisit, ideo quod multa in hac materia & jucunditatem & utilitatem maximam habentia occurrant, quid enim jucundius, quam Naturæ in corpore bene operantis varias actiones, tam ad præservandum corpus quam à morbis liberandum institutas contemplari? quid utilius Medico, quam visis hisce actionibus & probe memoriæ impressis, Naturam morborum Medicatricem nitari? Verum enim vero cum hac de re varios auctores consulerem, tot ac tantis involutam difficultatibus eam deprehendebam, ut à proposito destitit animus esset. Nihilominus tamen jucunditas

A 2

& uti-

& utilitas materiæ cum summa cupiditate altius in hocce mysterium inspiciendi, calcar addebant cœptum opus continuandi: difficultates enim in Medicina & imprimis in hac nobili materia occurrentes qui metuit, is sane degenerem Naturæ filium se demonstrat. Noli autem B. L. mihi tantum arrogantia tribuere, quasi vires meas ad exhauriendam hancce materiam, in qua jam præstantissimi desudarunt viri, sufficientes existimem, lubens potius fateor oneri huic ferendo humeros meos minus esse pares; quare B. L. ut ea, quæ hac de materia prolaturus sum, æqui bonique consulat, obnixè rogo. Quo vero eo meliori ordine in tractanda hac materia progrediar, agam 1. de Natura. 2. de Methodo Naturæ in conservando & à morbis liberando corpore & 3. de Medico Naturæ methodum tam in statu sano quam morbofo sequente. Tu vero Alme Creator qui & Naturam & Medicum ejusdem Ministrum ex nihilo produxisti, gratia tua mihi adsis, quo, quæ de admirandis tuis operibus in hac Dissertatione proponam, cedant in S.S. Tui Nominis Gloriam, proximique ægrotantis salutem.

SECTIO I.

DE NATURA.

§. I.

Naturæ vocabulum, si ullum aliud, in
 Physicorum & Medicorum Scholis est fre-
 quentissimum, ita ut ubique non solum in
 libris occurrat, sed etiam sæpissime in Audi-
 toriis audiatur, sed tot atque diversis modis
 sumitur, ut multæ inde difficultates oriantur;
 are ad hæc præscindendas, varias vocabuli Naturæ signifi-
 cationes præmittam. Sumitur autem 1. pro ipso DEO, sive
 Natura Naturante, quamvis hæc vocabuli acceptio fa-
 cit absurda & à Philosophis Grillopæis introducta. 2. Su-
 mitur pro Essentia rei, v. g. dicimus, hanc esse naturam ho-
 minis, canis &c. 3. Accipitur pro eo, quod homini conge-
 nitum est, sive quod habet à nativitate; e. g. Hippocrates
 ait Hominem natura totum esse morbum: aut homo na-
 turaliter (sive à prima nativitate) pertinax vocatur. 4. Su-
 mitur etiam interdum pro interno motus principio, quando
 dicimus omne corpus grave natura descendere deorsum.
 Quandoquidem significat ordinem rerum naturalium. v. g.
 Natura nocti dies succedit. 6. Sumitur etiam pro univer-
 so, quando dicimus Cerberum, Unicornu verum quadru-
 pedem &c. non dari in rerum natura. 7. Aliis denotat quasi
 Dei Deitatem quandam, DEO subordinatam universum
 hæc gubernantem. De quibus omnibus vocis naturæ ac-
 ceptionibus & animadversionibus in eas videri potest Boyle
 Tractatu de ipsa Natura Sect. 2. p. 9. & seq.

§. 2. Hæ tamen vocis naturæ acceptiones magis usuales sunt in Physicorum quam Medicorum Scholis, ab hisce enim vocabulum naturæ diversis adhuc modis sumitur & sic multis diffidiis ansa præbetur. Plurimi Recentiorum qui Cartesii & Mathematicorum castra sequuntur, sub vocabulo naturæ nil nisi mechanismum corporis intelligunt; Audiamus de hac re Sydenhamium opusc. p. 158. *Ego, inquit, quoties cunque naturam nomino, toties causarum naturalium complexum quendam significari volo, quæ quidem causæ brutæ licet & omni consilio destituta, non tamen sine summo consilio reguntur, dum suas quæq; operationes edunt, suosq; effectus exsequuntur. Nimirum supremum illud Numen, cujus vi producta sunt omnia, & à cujus nutu dependent, infinita sua sapientia sic disposuit omnia, ut ad opera destinata se certo quodam ordine atq; methodo accingant, neque frustra quicquam molita, neq; nisi quod optimum est, ac toti corporis fabricæ suisq; privatis naturis maxime accommodum exsequentia, perinde ac automata non pro suo, sed artificis consilio moventur.* Alii vero quamvis ab hisce parum dissentiant, existimant potius fluidæ atque subtilissima cuidam parti naturæ nomen competere, ideo quod partes corporis non nisi pati queant, nec etiam nisi à fluidis moveantur, ideo vel animæ sensitivæ vel spiritibus animalibus Naturæ nomen tribuendum esse. Hisce contrarii sunt alii, qui cum Hoffmanno actionibus rationalibus, animam rationalem, animalibus, sensui scilicet & motui, animam sensitivam, vitalibus vero & naturalibus Circulum sanguinis præficiunt, eumque Naturam vocant. Alii per Archæum nil nisi naturam Medicorum intelligunt: idem volunt qui Reges corporis Microcosmetorem, Gardimelech, Gasteranacem, Bithnimalcar in scenam producerunt. Alii spiritum peculiarem ab animali & corpore distinctum introducere. Alii tandem absonum putantes duplicem corporis rectorem statuere, quorum alter animalibus & voluntariis, alter vero vitalibus præfixionibus, per Naturam nil nisi animam rationalem intelligunt, ideo quod hæc præcipua hominis pars sit, & ab ea vitæ unice dependeat. Et quis varias acceptiones alias in Medicorum Scholis usuales enumeret.

§. 3. Ex quibus apparet, quantis difficultatibus ob-
 oxiā sit hęc de natura materia & quam difficile sit ex hisce
 robabilem sententiam eligere, cum singulas earum Viri Docti
 Celeberrimi defenderint & adhuc defendant. Ut tamen
 tiam meam aperiam opinionem, ex omnibus ultima vocis
 naturæ acceptio mihi præcæteris probabilis admodum videtur,
 quicquid etiam à diversum sentientibus in contrarium pro-
 ratur. Rationes autem quæ me movent, ut sententiæ huic
 subscribam, sunt sequentes. 1. quoniam anima est causa vitæ
 que à corpore separata vita perit & vice versa quamprimum
 vulo communicatur, rudimenta vivere incipiunt, id quod
 otissimum ex puncto saliente apparet: imo ipsa S. S. Gen. 2.
 7. nos docet, Deum corpori ex terra efformato spiraculum
 itarum inflasse, aut uti Lutherus transtulit: **Und Er bließ**
in den lebendigen Odem in seine Nasen: per quod spi-
 culum vitarum hætenus omnes nil nisi animam rationalem
 tellexerunt. Si Ergo uti ex hisce apparet, anima rationalis
 et causa vitæ, necessario quoque in actiones corporis ad vitam
 necessarias habere dominium easque ita instituere debet, ut
 corpus in vita conservari possit. 2. Quia corpus propter ani-
 am creatum est, ut scilicet ei in actionibus suis ceu instru-
 mentum inserviat; unde etiam hocce læso anima, quamdiu
 corpori juncta est, actiones suas minime peragere, imo ne rite
 cogitare quidem potest, id quod ex exemplo dormientium,
 ebriantium & ebriorum apparet. 3. Quoniam magna inter
 actiones vitales & animi mores est convenientia v. g. ubi san-
 guis libere movetur, uti in sanguineis, homines natura sunt
 plares & ad voluptates proni. Habere autem animam po-
 tentiam in actiones vitales apparet. 4. ex animi pathematibus,
 quæ pro affectuum diversitate circulum sanguinis modo acce-
 rant, modo retardant. 5. Quoniam adeo arcta est connexio
 inter actiones vitales & animales, ut absonum foret duplicem
 motum corporis constituere, alterum rationalem, alterum
 pro ratione carentem, & huic tamen posteriori plus sapientiæ
 dirigendis actionibus vitalibus & morbis curandis tribuere
 quam priori. Arcta autem connexio exinde apparet, quod

sanguis à corde per arterias ad caput propulsus continuo ad cerebri substantiam corticalem fluat, è cujus minutissimis glandulis fluidum nerveum subtilissimum in exilissimos medullaris substantiæ tubulos infunditur, ac per nervos in universum corpus distribuitur. Limites Ergo in capite ponendi sunt, eo in loco, ubi secretio succi fit nervei, ita ut animæ sensitivæ aut cujuscunque principii agentis imperium eodem in loco cesset; animæ vero rationalis imperium ibidem incipiat. Imo ulteriori adhuc opus esset divisione, & principio vitali adhuc vindicari deberent nervi ad cor, Ventriculum, intestina aliaque viscera vitalibus & naturalibus actionibus inservientia tendentes, iis solis animæ rationali relictis, qui ad motus requiruntur voluntarios. 6. Imo animam in ipsas quoque actiones naturales habere imperium exinde apparet, quod facta solum mentione cibi cujusdam delicati appetitus statim excitetur, & totum os saliva perfundatur, cum tamen hic nulla adsint effluvia, quæ nares certo modo afficere & in cerebro spiritus animales ita & quidem certo modo disponere queant, ut peculiari & certo modo ad Ventriculum & glandulas oris fluere & ex hisce certo & nondum adeo cognito modo salivam exprimere, in illo vero certum sensum excitare cogantur, quem appetitum vocamus. Imo è contrario etiamsi interdum delicatissima mensæ imposita sint fercula, appetitus momento citius cessat ejusque locum maxima occupat nausea, facta tantum mentione rei cujusdam ingrata. Quibus accedit quod etiam digestio in Ventriculo maxime imminuatur, si anima post sumtum cibum aliis rebus quam maxime intenta sit.

§. 4. Sed regerunt hic communiter 1. non opus esse in rebus hisce ad animam rationalem confugere, sed quæ in corpore fiunt actiones, fieri per solum mechanismum, & corpus ex variis visceribus & partibus compositum non aliter se habere ac alias machinas artificiales. 2. Animam prorsus nullam in actiones vitales habere imperium, exinde clarum esse, quod anima invita pulsus & respiratio nihilominus continent, & anima etiamsi vellet, pulsus cordis prorsus non retardare aut impedire possit. 3. In brutis anima rationali destituta

titutis actiones vitales fieri uti in homine. 4. Injuriū fieri
 Deo, hunc enim solam atque unicam causam motus esse, ani-
 mam autem per se nil posse efficere. 5. Animam prorsus nul-
 lam habere cognitionem harum actionum, cum tamen ceu
 substantia intelligens actionum suarum conscia esse deberet.
 Nec etiam 6. comprehendi posse, quomodo anima ad actio-
 nes vitales concurrere possit, & longe clarius omnia explicari
 posse per mechanismum. Ad quæ tamen facile responderi
 potest, mechanismum non excludi, sed partes corporis esse
 animæ instrumentum, quibus ad perficiendas operationes uti-
 tur, uti alii quoque artifices. Duæ enim hominis sunt partes
 essentielles altera materialis, altera vero immaterialis; materia-
 lis sive corpus mere passive se habet; immaterialis vero sive
 anima est principium activum, quod omnes concedunt, meri-
 to Ergo huic officium corporis regendi committitur. Ani-
 mam variis modis alterare posse & turbare actiones vitales ex
 superioribus patet: quod autem pulsus cordis non immutet
 prægnans satis est causa: cum enim à motu sanguinis continuo
 omnes secretiones & vita ipsa dependeat, ita ut totalem motus
 sanguinis intermissionem mors presso pede sequatur; absur-
 dum sane esset, si anima motum huncce tollere aut retardare
 vellet, idem enim esset ac si proprium expeteret interitum.
 Quod autem in brutis quoque fiant actiones vitales, nihil ad
 rem facit, certissimum enim mihi videtur, cuivis animæ poten-
 tiam à DEO concessam esse corpus suum conservandi & à pe-
 riculis imminentibus præservandi: in puras enim machinas
 qui bruta transformant, nimis mechanice philosophantur.
 Quomodo autem injuria fiat DEO, ego quidem non video,
 nam dum animæ potentia corpus regendi conceditur, concur-
 sus DEI non excluditur. Et quod quintam concernit ob-
 jectionem anima inscisa omnia hæc fieri, ea tanti momenti
 non est; cum enim nihil sit in intellectu, quod prius non fue-
 rit in sensu, quomodo anima potest habere cognitionem eo-
 rum in intellectu. Cognoscit tamen anima & dignoscit sensu
 quodam interno, qui hinc non immerito à quibusdam vitalis
 appellatur. Et posito rem hancce esse admodum obscuram

& modum quo anima corpus regit & operationes suas perficit, adhuc latere, quid inde sequitur, an ab ignorantia modi ad negationem rei valet consequentia. Quænam quæso evidentia & claritas est in mechanismo? plures sane hic occurrunt difficultates, quam in priori opinione; effluvia enim certa, quæ certo modo afficere & ad certos motus animalia disponere debent, parum lucis affundunt mechanismo.

§. 5. Pro certo Ergo habeo animam humanam rationalem esse principium illud activum quod mediantibus partibus mechanico ordine conjunctis omnes operationes corporis tam in statu secundum quam præter naturam peragit, omniaque juxta ordinem à DEO præscriptum ita disponit, ut corpus quantum possibile in statu sano conservetur & à morbis liberetur, verbo esse Naturam Medicorum. Quo vero appareat qua methodo utatur natura, eam brevibus subjungam.

SECTIO II. DE METHODO NATURÆ.

CAPUT I. DE NATURÆ METHODO IN STATU SANO.

§. I.

Duplicem esse corporis humani statum, alterum secundum naturam, alterum vero p. n. Tyronibus Medicinæ notum est: in quo duplici statu diversa etiam methodo natura utitur. Generale instrumentum quod natura in utroque statu requirit, est motus, qui statim in prima conceptione in ovulo cernitur; semen enim masculinum (quo cum etiam in coitu secundo animam ipsam ovulo communicari certo persuasus sum) aut
poti-

potius ejus portio subtilior sive spirituosâ dum ad ovulum penetrat, prima rudimenta fœtus in eo contenta, motu vitali hæcenus destituta, ita commovet & disponit, ut vitali aura turgida moveantur & humore ambiente nutriantur, qui motus etsi ab initio obscurus sit, mox tamen in puncto saliente apparet. Et quando postmodum (non sufficiente ad nutritionem liquore ovuli) ex utero materno major indies succi nutritii copia ad placentam uterinam deponitur, anima corporis præsens mediante motu eum continuo ad quasvis corporis partes, si non æqualiter, proportionaliter tamen distribuit, ita ut sic sensim sensimque omnes fœtus partes explicentur & decentem magnitudinem acquirant; quæ nutritio ad nonum usque mensem durat, quo tempore fœtus jam perfectus & maturus in hunc mundum editur. Cum vero hic nutritius succus admodum sit purus, parum quoque sordium excrementitiarum ab eo secernitur, iis exceptis quæ pedetentim ad intestina sub nomine Meconii deponuntur.

§. 2. Nato itaque infante debito alimento opus est, quo nutriri & augeri queat; primum ipsius nutrimentum, DEO ita decernente, est lac maternum serosius, quod à quibusdam male infantibus recens natis denegatur, optime enim meconium purgat, & primas vias abstergit; cum vero hoc non sufficiat, pulles ipsi junguntur ac successu temporis alii quoque cibi ac potus: quoniam autem omnes hi plures adhuc in se continent partes excrementitias ad nutritionem corporis ineptas, variis præparationibus opus habent in ore, Ventriculo & intestinis, quem in finem etiam omnia viscera ita apte disposita sunt, ut præparationes hæc commode in iisdem fieri queant: effunduntur quoque hoc ipso tempore varii humores alimenterum digestionem facilitantes eaque diluentes, ut eo commodius per vasa lactea & ductum thoracicum Massæ sanguineæ infundi queant. Sed ne sic quidem satis præparatus est humor hic, ita ut naturæ intentioni inservire & sanguinem vitæ balsamum constituere possit, quare in corde non solum operystoles conquassatur, sed & in pulmonibus ab aëre ita resolvitur, ut spumescens & floridus exinde effluat. Hoc ipso au-

tem satis aptus redditur, ut commoda per viscerum & glandularum vasa & poros tam patentiores quam angustiores pertransire queat. Transitus autem hic per poros admodum necessarius est, quoniam non solum sanguis, concurrente quarumvis partium tono, subtilior redditur, sed etiam varii liquores partim utiles, partim vero inutiles à sanguine secerantur.

§. 3. Nihil autem magis & facilius in corpore coarceatur quam serum, id quod partim ab alimentis succulentis, partim à potu assumto, partim à sanguine fatiscente dependet, cum vero hocce omnium facillime corrumpi queat, natura provida in variis colatoriis id à sanguine separat & per commoda loca evacuat. Maxima ejus portio secerantur in peripheria corporis partim sub forma vaporis insensibilis, partim sub forma sudoris sensibilis: similiter non contemnenda copia secerantur per renes, tanta tamen non est ac ea, quæ per cutim fit, ut propterea non adeo absurde statuerit Sanctorius, plus una die feri per transpirationem insensibilem, quam quindecim dierum spatio per reliqua excretoria loca evacuari. Utrumque hocce serum non paucas in se continet particulas salinas, ☐reas & ☒reas, plus vel minus abundantes pro diversa temperamentorum conditione. Multum quoque feri plus vel minus viscidi in ore, naribus, ventriculo & intestinis secerantur, ut alias ejusdem secretiones silentio præteream.

§. 4. Quoniam vero sanguini etiam particula ☒rea insunt, quæ continuo motu acriores redduntur, & sic laudabilem sanguinis statum pervertere facile possunt, natura eas beneficio hepatis separat & per peculiare ductus partim immediate ad intestina, partim vero ad folliculum felleum mittit sub nomine bilis: ubi cibis mixta eos à putredine præservat & intestina stimulando clysteris naturalis vice fungitur, ac tandem cum Scybalis per alvum excernitur.

§. 5. Quo vero viscerum atque reliquarum partium tonus in debito vigore permanere queat, partim sufficiens lymphæ copia partes perluit & ad flexilitatem fibras aptas reddit, partim vero subtilissima lympa in cerebri corticali sub-

stantia

stantia secreta, in medullaris substantiæ tubulos (è quibus postmodum collectis nervi omnes fiunt) infusa, & à nervis excepta, subtilissimos horum tubulos ad omnes partes distributos inflat & irrigat, ut hoc modo motus debito modo celebrari & partium tonus conservari queat.

§. 6. Hisce omnibus autem secretionibus natura nil nisi corporis sui conservationem intendit, cum enim hocce ex materia diversa, laxè cohærente & sic eo facilius ad secessum & putredinem prona, constet, omnes ex partes, quæ vel actu jam inutiles, vel ad corruptionem pronæ sunt, à natura summo studio secernuntur & excernuntur, quo natura ultimum suum assequatur finem, qui est vita & sanitas, vita enim nil nisi conservatio corporis à putredine est, ad quam tamen vi intrinsicæ constitutionis admodum inclinatur.

CAPUT II.

DE

METHODO NATURÆ IN STATU MORBOSO.

§. I

CUM vero partim ob intemperantiam in affectibus, aut non satis prudentem institutam alimentorum electionem aliofque in Diæta errores commissos, partim vero ob varias causas externas, in quas natura nullam habet potentiam, quæque ejus vim superant, varia heterogenea in corpore generentur, quæ pro majore vel minore activitate modo subitanæ, modo vero lentam corpori minantur destructionem, natura juxta concessam à summo rerum Arbitro facultatem, variis motibus insurgit, quo mature, id quod corpori interitum minatur, exsibellat, unde etiam pro diversitate causæ morbificæ & pro diversa partium, respectu temperamentorum, constitutione motus inter se admodum differunt.

§. 2. Quamvis autem motus hi, respectu status sani non sint secundum naturam, non tamen pro absolute præter naturali-

naturalibus & profus vitiolis habendi sunt, omnes enim au-
 saltem plerique ad certum finem tendunt, qui toti œconomia
 est salutaris: ubi tamen observandum est, naturam non sem-
 per fine suo potiri, idque vel ob vehementiam causæ, natura
 potentiam superantis, vel quia natura motus perverse institui-
 æque enim in phycis ac in moralibus erroribus variis obno-
 xia est.

§, 3. Ut vero appareat, qua methodo natura in morbi-
 utatur, præcipuas eorum classes recensebo, & cum commu-
 nissimum omnium vitium sit plethora, morbis ab eadem de-
 pendentibus primum tribuam locum. Plethoram in corpo-
 ribus alias sanis dari posse, hodie nemo facile, nisi qui cum
 subtilibus quibusdam Medicis philosophicis errare, quam
 cum veris naturæ ministris sapere magis volunt, negabit.
 Hæc autem cum vel ultra modum commota variis malis an-
 sam præbeat, vel sanguinis spissitudinem, multorum morbo-
 rum causam, post se trahat, provida natura omni fere ætatis
 tempore sanguinem superfluum evacuat. Nil dicam hoc loco
 de maxime naturali sanguinis menstrui evacuatione in feminis
 sed saltem de iis mihi sermo est, quæ in feminis partim, partim
 vero in viris summa cum euphoria contingunt. Notabile
 autem est naturam in hisce respectu certarum ætatum per di-
 versa quoque sanguinem ut plurimum evacuare loca, in pue-
 ris v. g. per nares, in adolescentibus & juvenibus per pulmo-
 nes, in atate virili per vomitum cruentum, postea vero in atate
 consistente per hæmorrhoides ac tandem per mictum cruen-
 tum; ut taceam varicum manationem in quibusdam obser-
 vatam, ut & alias insolitas vias. Antequam v. hujusmodi
 hæmorrhagiæ contingunt, varii sentiuntur motus magis vel
 minus sensibiles, ad partem, per quam fieri debet hæmorrhagia,
 tendentes, qui interdum adeo pertinaces sunt, ut vix ac ne vix
 quidem refranari queant. Imo interdum etiam stata rever-
 tendi observant tempora, manifesto indicio non confusos esse
 istos motus, & à sola quadam, quam vulgo supponunt, irrita-
 tione dependere, sed revera ad certum quendam finem obti-
 nendum institui. Motus hosce postmodum sequitur, ut plu-
 rimum

rimum congestio sive coacervatio sanguinis circa partem ad sanguinis excretionem destinata, id quod varia manifestant symptomata: v. g. hæmorrhagiam narium (inprimis si critica fuerit in morbis) præcedunt frigus inferiorum partium, alvi adstrictio, urinæ paucitas & tenuitas, sudoris suppressio, tensio hypochondriorum inprimis dextri, quæ postmodum dolor capitis gravativus, faciei inflatio & rubor, vasorum circa collum & tempora turgescencia & pulsatio, oculorum prominentia, siccitas ac rubor, sibilus aurium, vertigo, narium siccitas & pruritus & tandem hæmorrhagia sequuntur. Ita etiam hæmoptysin præcedunt plerumque gravativus pectoris dolor, respirandi difficultas atque angustia, flatulentia circa primas vias, frigus extremorum, cutis horripilatio, vasorum detumescencia &c. Pariter vomitum cruentum præcedunt alvi adstrictio, murmur ventris, dolor tensivus hypochondrii plerumque sinistri, interdum etiam dextri &c.

§. 4. Pleraque modo recensitarum hæmorrhagiarum, si legitime procedunt, nullum damnum corpori inferunt, sed potius id à multis morbis præservant. Quod si vero debitum successum non nanciscantur, plura inde sequuntur incommoda, hæmorrhagiam v. g. narium suppressam dolor capitis gravativus, vertigo, otalgia, odontalgia, inflammationes &c. Sequuntur: hæmoptysin non succedentem plerumque Pleuritis, Peripnevmonia, Vomica, Phtisis &c. Vomitum cruentum si scilicet sanguis circa Ventriculum congestus, nec iterum discussus fuerit) stagnatio sanguinis in liene, Vomitus nigro-rum sive Morbus niger Hippocratis, inflammatio lienis, hydrops &c. Hæmorrhoides suppressas malum hypochondriacum & ischiadicum, colica hæmorrhoidalis, cum mictu cruento & calculo excipiunt. Ita ut ex hisce appareat, præsentem molethora satius esse hæmorrhagias procedere (licet & hoc non sine insigni molestia contingat) quam easdem suppressi.

§. 5. Quod si vero sanguis, hæmorrhagiis non succedentibus, circa partes stagnans spiffescat & tandem plane corruptatur, quale quid in Inflammationibus contingit, natura iterum huic malo variis motibus ob viam it; Sanguis omnibus

bus consentientibus est liquor vitalis, qui in corporis variis partibus ita depuratur, ut eo felicius vitæ inservire possit: hic itaque si putredinem in corpore concipit, rationi obvium est, ingens toti corpori periculum inde imminere, corruptio enim hæc facillime aliis quoque partibus communicatur & invalescens eas vita privat, id quod manifestissime in sphacelo videmus; imo nisi partes sphacelatae illico amputentur, brevi totum corpus corrumpitur & vita perit. Quare summe necessarium est, ut partes actu jam corruptæ mature e corpore eliminentur: quem in finem sanguis majori copia ad partem affectam propellitur, quæ hinc rubet atque tumet, & dum sanguis per poros angustos transprimitur, pars quoque calorem concipit: hoc ipso autem, imprimis si materia corrupta in minori adfuerit quantitate, partes corruptæ à præter labente sanguine eluuntur & inflammatio discutitur: quod si vero corruptio fuerit major, continuo affluxu partes acriores auferuntur, tenues vero exhalant & hoc modo ulterior corruptionis progressus impeditur: quod vero remanet, crassius est & pus constituit. Ubi vero nimis præceps fuerit sanguinis corruptio & ad sphacelum tendit inflammatio, etsi etiam ab initio motus ad avertendam noxam instituantur, languidi tamen postmodum redduntur ac tandem prorsus remittunt, quoniam hæc corruptio naturæ ejusque motuum vim superat, atque sic frustra motus instituerentur. Hoc loco adhuc notandum est, si inflammatio partes nobiliores aut viscera affligit, uti sunt hepatis, pulmones, Ventriculus &c. quod tum temporis motus longe sint majores, verbo febriles: cum enim longe majus corpori exinde immineat periculum, si viscera actionibus vitalibus & animalibus inservientia patiuntur, longe majores quoque institui debent motus, ut corruptio eo citius tollatur.

§. 6 Ad plethoræ imminutionem pertinent etiam diarrhoeæ spontaneæ, quæ etsi sæpius diu durent, corpori tamen salutares sunt: ita Studiosus quidam viginti annorum à Scabie retropulsa varia patiebatur Symptomata per longum fatis tempus; tandem tempore verno affligebatur diarrhoea largissima;

contra quam ceu symptomaticam, uti putabat, varia à Medicis præscripta remedia usurpabat; cum vero hæc omnia frustra-nea essent, nec ullum virium sentiret dispendium, naturæ opus committebat, unde elapsis tribus septimanis cum diarrhœa omnia reliqua mala (inter quæ inprimis ulcera in tibia dextra satis profunda, ultra aliquot menses, omnibus remediis à Chirurgo frustra applicatis, continuo ichorem plorantia, attentionem merebantur) disparebant.

§. 7. Huc referri etiam meretur variorum heterogeneorum in Ventriculo & intestinis collectorum per vomitus spontaneos evacuatio, unde gravitas, quam in Ventriculo sentiebant ægrotantes, momento citius cessat & appetitus redit. Quorsum etiam ea pertinet excretio, quando natura per nares magnam feri mucidi copiam evacuat in Coryza, unde caput, quod antea stupidum erat, maxime alleviatur, & hinc etiam non immerito à vulgo Coryza pro evacuatione valde salutari habetur.

§. 8. Hujusmodi excretiones si legitime procedunt, absque insignibus motibus contingunt: quod si vero materia quædam heterogenea plus vel minus viscida acris aut corrosiva vel in primis viis vel in visceribus, vel in ipso sanguine hæret, quæ, si relinqueretur, vel citius, vel tardius damnum inferre posset corpori, majores longe instituuntur motus, qui, quo magis deleteria vel activa est materia, eo magis etiam intenduntur. Hujusmodi motus potissimum cernuntur in febribus tam intermittentibus quam continuis iisque tam benignis, quam malignis. Motus hi vulgo quidem deducuntur à materia, cui vim fermentativam irritantem adscribunt plerique, sed magis probabile mihi videtur, eos institui à natura propter talem materiam, ut scilicet ea, qua fieri potest celeritate, corrigatur & è corpore expellatur. Si enim dependere à materia, continuo absque ulla intermissione durare deberent; nec etiam ordo febrium adeo exactus esset, symptomatica enim non variant, sed fere semper sunt eadem, quamvis in quibusdam mitiora in aliis vero graviora observentur.

Quibus accedit, quod nonnunquam febres nulla præfente materia à solo terrore vel sola nausea oriuntur.

§. 9. Cum itaque materiæ tales morbificæ ita comparatæ sint, ut una vice evacuari nequeant, præparatione opus habent; quem in finem repetitis vicibus natura contra easdem iñfurgit in paroxyfmis febrium tam intermittentium, quam continuarum. Instrumenta autem, quibus natura utitur, sunt motus tonicus cordis & reliquarum partium. Et cum in febribus inprimis intermittentibus materia febrilis plerumque vel in primis viis, vel etiam in visceribus circa easdem hæreat, ac visciditate & acrimonia plus vel minus excedente prædita sit, natura ope motus tonici partes externas constringit, ut non solum sanguinis venosi fluxus ad partes internas promoveatur, sed etiam arteriosi ad easdem affluxus impediatur: id quod eum in finem fit, ut, dum sanguis circa partes & viscera interna majori copia colligitur, major feri fiat secretio, quo materia peccans eo magis dilui & ad excretionem apta reddi queat. Ex quo ipso varia oriuntur symptomata, dum enim cutis ita constringitur, & sanguinis minor est copia in partibus externis, necessario pallor & extenuatio habitus corporis, eminentia pororum, vasorum detumescencia cum horrore sequuntur. Quando vero circa interiores partes majori copia colligitur, sequuntur anxietates præcordiorum, nausea, vomitus & interdum diarrhœa. Cum vero hisce peractis strictura cesset in habitu corporis, ac pulsus hoc ipso tempore augeatur & celerior reddatur, habitus non solum corporis turgidus iterum redditur, sed & sanguis ob celeriore circulationem maxime incalescit, quibus jungitur necessario sitis & ob vasorum intumescenciam dolor capitis, donec tandem sufficienter per frequentiores circulationes resolutio fero, sudor sequatur & paroxyfmus finiatur. Paroxyfmi hi plerumque graviores redduntur usque ad quartum ac postea eorum impetus sensim sensimque cessat, donec tandem, inprimis si ætas & anni tempus conspirant, febris præterlapso septimo prorsus finiatur.

§. 10. Ubi vero magis activa fuerit causa morbifica, qualis in febribus continuis, tam benignis, quam malignis deprehenditur, majori etiam vigilantia opus est, quare etiam natura continuo contra hancce materiam pugnat; & quamvis aliquando ab impetu aliquo modo remittat, itatis tamen temporibus iterum, in exacerbationibus scilicet continuarum, contra eam insurgit, donec tandem eam sufficienter correctam per commoda excretoria loca expellere queat.

§. 11. In exanthematicis autem febribus, ubi materia febrilis causticæ est indolis, summa cum vigilantia continuo agit natura, & materiam illam à visceribus vitæ maxime infervientibus ad peripheriam corporis propellit, eamque ibidem ita diluit & maturat, ut etiam, nisi admodum corrosiva fuerit, nullum cuti insigne damnum inferre queat.

§. 12. Illud autem quam maxime notandum est, quod natura in hisce morbis non solum certum symptomatum sed etiam dierum servet ordinem: in tertiana v. g. intermittente, uti antea jam indigitatum fuit, febris cessatio post septimum observatur paroxysmum: continuæ septenariis aut semiseptenariis finiuntur diebus: id quod quam maxime apparet in Variolis, quæ semiseptenario seu quarto die erumpunt, septimo suppurantur usque ad undecimum, ubi ad decimum quartum usque aridæ redduntur ac postea ad vigesimum primum usque decidunt.

§. 13. Et hæc omnia Natura sola absque ullius adminiculo felicissime peragit & expellendo materias noxias corpus ab interitu vindicat, quod curationes febrium intermittentium, continuarum, malignarum, imo pestilentialium ipsarum, spontaneæ satis superque testantur: ita ut, si compatio instituat inter eos, qui à natura sponte curantur & qui artis ope sanantur, longe major priorum quam posteriorum futurus sit numerus.

§. 14. Hæc de motibus naturæ ad conservandum corpus suum institutis sufficiant, specialiter enim in quibusvis morbis naturæ methodum demonstrare velle & arduum & prolixum nimis foret. Cum vero sæpissime varia occurrant

impedimenta naturam in opere suo impediencia, videbimus jam quomodo impedimenta ista Medicæ artis ope removeri debeant, ut postmodum laudabilis, quem natura intendit, exinde sequatur eventus: ex quibus simul apparebit, an, quando & quomodo Medicus sit naturæ minister. Antequam vero impedimenta ista recenseam, prius pauca quædam officium Medici in conservanda sanitate spectantia, tradam.

SECTIO III.
DE
MEDICO NATURÆ
MINISTRO.

CAPUT I.
DE
MEDICO NATURÆ MINISTRO
IN PRÆSERVATIONE
MORBORUM.

§. I.

QUamvis in conservanda sanitate quilibet exacte diætæ regulas observando sui ipsius Medicus esse possit, pauci tamen sunt, qui eas observant, aut quomodo eas observare debeant, intelligunt, ita ut ideo sæpius Medico diætam præscribente opus sit. Non autem hic prolixas istas regulas hinc inde in libris diæteticis traditas, intelligo, multis enim earum parum veritatis inest, sed illas tantum volo, quæ naturæ methodo exacte respondent.

§. 2. Cum Ergo Natura in eo tota occupata sit, ut corpus suum nutriat, à putredine & destructione præservet, ac ad nutritionem ineptas particulas & ad putredinem pronas con-

tinuat

tinuo secernat atque excernat, in eo quoque Medici officium consistet, ut hanc naturæ methodum imitetur. Non opus autem est ex Physiologia prolixè repetere, quomodo corpus nutriatur, sed sufficit verbo indicasse, lympham particulis gelatinosis imprægnatam esse corporis nutrimentum, eamque ex alimentis provenire; Modicum autem id esse, quod ad nutritionem requiritur, & hinc lympham istam, respectu alimentorum plus vel minus hujus lymphæ gelatinosæ possidentium, abundare posse, ac exinde abundantiam humorum oriri. Cum vero inter partes solidas, per quas fluidæ transeunt, & fluidas continua debeat esse proportio, ita ut fluidæ per illas absque impedimento moveri queant, rationi obvium est, præfente lymphæ aliorumque humorum abundantia, motum fluidarum liberum per solidas impediri. Ex quo duo proveniunt insignia incommoda, sanguis enim cum debito modo nec etiam tanto cum impetu per solidas propelli queat, spissior evadit, quod incommodum alterum presso pede sequitur, dum nimirum sanguis ob spissitudinem minimos colatoriorum poros pertransire nequit, multæ fordes in corpore remanent & humores vitales facile pervertunt.

§. 3. Quapropter ad præcavenda varia incommoda majora Medicus naturæ suppetias laturus 1. diætam exactam præscribat, ut scilicet tantum ciborum assumant homines, quantum corporis nutritio postulat: quodsi vero plus assumant, ciborum quam necessitas exigit, jubeat 2. ut corpus sufficienter motu exercent, hunc enim optimam esse corporis Medicinam, jam dudum Medici agnoverunt; quod etiam exinde potissimum apparet, quod in motu quocunque musculosæ corporis partes modo contrahantur, modo relaxentur: hoc ipso autem vasa per hæc transeuntia admodum conquantur ac inde sanguis fluxilior redditur, ita ut commodius per poros partium propelli queat; cum vero non sufficiat sanguinem hoc modo attenuare, corpus quoque ad lenem sudorem usque moveatur, quo superfluum evacuetur. Post motum autem hujusmodi corpus aeri frigido non exponatur, hoc enim modo transpiratio impeditur, serum excretioni destinatum

stinatum spiffescit ac corrumpitur, ex quo postmodum gravissimi, teste experientia, oriuntur morbi. Motus tamen hinc corporis fortior non promiscue omnibus est imperandus, sed quam maxime est distinguendum inter temperamenta & corpora, plethorici enim, sanguinei & cholericus fortiores labores absque magna plethoræ commotione, & multis inde provenientibus damnis ferre nequeunt, quare in hisce ab initio leviori tantum corporis motu opus est. Quoniam vero multorum hominum conditio hujusmodi motum non permittit, qui nihilominus appetitui indulgent, Medicus 3. per V.S. aut scarificationes sanguinem abundantem evacuet, idque in primis tempore verno atque autumnali, ubi insignes in corpore contingunt alterationes, ac plerumque etiam morbi corpus affligunt. Quo ipso etiam tempore 4. non sine insigni fructu præscribuntur remedia laxantia, ut cruditates in primis viis natæ removeantur. Quod si vero aliqualis etiam visciditas sanguini insit aut sordes in eo contineantur 5. lenia diaphoretica & diuretica præservationis gratia profunt, quippe quæ & sanguinem fluxilem reddunt, & heterogenea ad excretionem disponunt. In primis autem 6. imperet Medicus, ut animi pathemata fortiora vitent, hæc enim nulla præsentem materia vitiosa morbos producere, & jam genitos maxime exasperare valent, cum è contra ubi mens est sana atque tranquilla, corporis quoque sanitas & actionum tranquillitas sequatur. Reliqua huc spectantia ad prolixitatem evitandam transeo, Medicus enim, qui œconomiam animalem verè callet, facile perspicit, quomodo reliqua ad conservandum corpus præscribere debeat.

CAPUT II.

DE

MEDICO NATURÆ MINISTRO
IN CURATIONE MORBORUM.

§. I.

Cum intemperantia hominum tanta sit, ut spreto etiam omnibus præceptis ad sanitatem conservandam necessariis, nihilominus appetitui & immoderatis animi affectibus inconsulto indulgeant, non possunt non varia inde redundare in corpus humanum mala, quibus avertendis natura sapissime compar est, licet varios motus instituat, quare Medicus hoc in casu naturæ opem ferre & impedimenta, quantum fieri potest, remove debet.

§. 2. Impedimenta autem hæcce varia sunt & quidem tria. 1. Quantitas materiæ morbosæ nimia, quam Natura remove nequit. 2. Qualitas ejusdem: quando vel nimis tenax viscidula & ad motum inepta est, vel nimis acris & volatilis, ut per ordinaria corporis colatoria neque secerni neque excerni possit. 3. Quando viscera corporis principalia, motui & depurationi humorum inservientia, male sunt constituta, hisce enim causis frustra materiæ morbificæ expulsio à natura tentatur; ut enim opifex, ita & natura absque idoneis instrumentis nihil efficere potest.

§. 3. Sed optandum esset, ut Medicus hoc in casu sine quo semper potiretur, sapius enim nescio quæ fatalis causa subest, cujus intuitu natura absque ulla apparente causa manifesta vel motus nimios aut perversos instituit, vel in iisdem deficit, ita ut nullo modo vel motus nimii refrænari, vel natura debito modo ad motus sufficientes excitandos stimulari queat, ita ut Medicus, etiamsi præstantissima exhibeat remedia, necessario τὸ θεῶν in multis morbis agnoscere cogatur: Ex quo apparet, Medicum deficiente natura parum vel nihil efficere posse.

§. 4. Quo vero Medicus eo facilius naturæ succurrere queat, sollicitè inquirere debet, 1. an morbus præfens ortus fuerit à causa quadam immateriali, gravioribus scilicet animi pathematibus, an vero à causis materialibus. In posteriori casu respicere quam maxime debet ad materiam, in priori vero magis ad naturam ejusque motus. 2. Probe attendat ad motus naturæ, an ad obtinendum finem sufficiant, an excedant, an debito tempore & debito modo suscipiantur, an ad certa & apta loca tendant. 3. Summo autem studio hic distinguat symptomata essentialia ad ipsum morbum revera pertinentia, ab accidentalibus sive post essentialibus, quæ essentialibus accedunt: quæ enim essentialia sunt, ea nequaquam supprimat, sed potius, si deficient, adjuvet; ubi vero excedunt ea, si quidem possibile fuerit, moderetur; quo natura fine suo potiri queat: quare non inconsulto Sydenham Medicum admonet, ut in Variolis ad febrem attendat, an scilicet ea ad expellendas Variolas sufficiat, an vero excedat, quoniam optime agnovit solertissimus ille Practicus, in moderamine febris totum arcanum curandi Variolas latere. 4. Quibus cognitis eligat methodum naturæ intentioni & curandi methodo conformem, ac talia quoque præscribat remedia, quæ intentioni naturæ satisfacere possunt: & cum natura plerumque absque magna violentia agat, 5. Omnia drastica & incerta vitet remedia, quæ vel motus augere, vel vires imminuere possunt, ac tandem 6. talem etiam præscribat Diætam, quæ & vires conservare & naturam in operando adjuvare queat. Hæc generalia sunt, ad quæ Medicus attendere debet, quo vero appareat, quid Medico in variis morbis agendum, pauca quoque de iisdem subjiciam.

MEMBRUM I.
DE
HÆMORRHAGIIS.

§. I.

Superius Sect. 2. cap. 2. dictum fuit, naturam consulto insti-
tuere Hæmorrhagias, ut corpus à sanguine superfluo libe-
ret & majora imminencia mala præcaveat. Etsi autem natu-
ræ intentio hoc in casu sit laudabilis, nihilominus tamen hoc
loco Medici opera requiritur, quatenus natura interdum vel
excedit, vel deficit, vel per inconvenientia loca hæmorrha-
giam molitur. In excedentibus Ergo hæmorrhagiis impe-
tum sanguinis ad partem, per quam excretio fit, imminuat,
æstum Massæ sanguinæ temperet, & sanguinis postea æquabi-
lem per totum corpus distributionem procuret. Priori sco-
pō inservit V. S. revulsoria; 2. Nitrosa. 3. Diaphoretica cum
nitrosis remixta, quibus interdum lenia adstringentia admisce-
ri possunt: nunquam autem fortiora adstringentia, nisi in casu
summæ necessitatis usurpentur.

§. 2. Quando deficiunt hæmorrhagiæ consuetæ, ad
quas potissimum, narium hæmorrhagia, fluxus mensium &
hæmorrhoidum referri merentur, varii vel in istis partibus, vel
circa eas oriuntur dolores. Hic Medicus, si quidem possibile
est, sanguinem istum stagnantem evacuare debet, ne corrup-
patur & majora mala producat, quare in hæmorrhagia narium
suppressa, cum scarificationem narium Ægyptiacam nemo
Europæorum facile admittat, V. S. sanguinem emittat; quæ
sanguinis missio locum quoque habet in mensium & hæmor-
rhoidum suppressione, quo ultimo in casu optimo quoque
consilio hirudines ano applicantur: cum vero in stagnatione
hacce sanguis aliquam spissitudinem acquirat, eum denuo re-
solvere conetur Medicus, id quod optime incidentibus & dia-
phoreticis efficere potest.

§. 3. Quodsi vero per inconvenientia loca, uti in hæmoptysi, vomitu & mictu cruento, sanguinis excretionem molliatur natura, Medicus sanguinem per alia loca educat & ejusdem impetum refrænet. Quem in finem itidem V. S. revulsoria, nitrosa & diaphoretica cum lenibus adstringentibus profunt: in hæmorrhagiis vero à plethora venæ portæ oriundis, præter modo recensita Millefolium ceu specificum laudat Celeberrimus Stahlius.

§. 4. Cum vero sanguis in partibus congestus actua-lem jam conceperit stasim, & sic putrescens inflammationes partium producat, Medicus antequam naturæ suppetias ferre conetur, probe inquireat, an discussioni adhuc sit locus, an vero ad suppurationem aut gangrænam ipsam tendat inflammatio. Ubi discussioni adhuc locus est, Medicus conatus naturæ adjuvet; cum vero ob plethoram interdum vasa nimium extendantur & sic largiori sanguinis ad partem affectam affluxui obex ponatur, Medicus eum per V. S. imminuat. Postmodum talia præscribat interna remedia, quæ & fluxilitatem sanguinis conservare, particulas corruptas corrigere & per diaphoresin aut alia convenientia emunctoria evacuare valent, id quod inprimis præstant diaphoretica cum balsamicis mixta: quod si vero æstus febrilis, uti in inflammationibus viscerum, jungatur, nitrosa diaphoreticis addita laudatissimam præstant operam. Externe autem profunt ea quæ partem fovendo, particulisque tenuibus penetrando discussionem facilitare possunt, qualia sunt spirituosa & inprimis Spir. Vin. camph. ut & sacculi ex discutientibus parati & calide applicati.

§. 5. Quando ad suppurationem tendit inflammatio, Medicus Naturæ Minister eo respiciat, ut 1. Putredinem à M. S. arceat. 2. suppurationem promoveat, & 3. ut, si sponte abscessus non rumpitur, eundem aperiat & 4. mundificati consolidationem adjuvet. Primum scopum obtinet per superius jam laudata diaphoretica & balsamica. Secundæ indicationi satisfacere potest iis remediis, quæ fibras cutis laxando faciliorem materiæ corruptæ receptionem procurant, quæque blando calore partium subtilium discusso-

nem,

nem, materiæ crassioris corruptionem & cutis rupturam promovent. Si vero hæc ad cutim rumpendam non sufficiunt, & ulterior partium corruptio metuenda est, abscessus maturus lanceola aperiatur, si fuerit externus. Consolidationem quod concernit, Medicus per se eam præstare nequit, quia opus naturæ est, impedimenta itaque solum naturam turbantia removeere debet; impedimenta autem illa vel in ipso abscessu hærent, vel ab externis dependent: in abscessu potissimum peccat acrimonia puris, quæ per balsamica acriora corrigenda & abstergenda est; simul tamen affluxus sanguinis laudabilis promoveri debet; nisi enim tuberculi omnes fatis aperti fuerint, consolidatio tarde admodum procedit: efficiunt id potissimum spirituosæ partibus circa abscessum applicata. Externa impedimenta sunt, fordes in abscessum illabentes & aer: hisce impedimentis tollendis inserviunt emplastra quæcunque, præ cæteris tamen præferuntur ea, quæ pluribus particulis balsamicis instructa sunt, quoniam & mundificationem & consolidationem faciunt.

§. 6. Ubi vero prorsus nulla suppuratio expectanda, sed inflammatio ad sphacelum aut plenariam partis mortificationem tendit, Medicus quam maxime vigilare debet, ne in plenarium deducatur actum, quare præter intermixta alexipharmaca, externa balsamica, spirituosæ & acria applicare debet, quæ putredinem arcere & vitam partis conservare valent. Si caro adest sphacelata, ea removeri debet, quo medicamenta partem adhuc viventem attingere queant. Quodsi vero plane corrupta fuerit pars, ense recidenda est, ne pars sincera trahatur: partem enim plane emortuam neque natura, neque ars ullo modo restituere potest.

MEMBRUM II.
DE
SERI EXCRETIONE, STAGNATIONE ET CORRUPTIONE.

§. I.

QUAMVIS & seri abundantia commode sub Plethoræ universalis titulo comprehendi queat, nihilominus tamen, de ejus quantitate excedente, excretionibus, stagnationibus & corruptionibus quædam seorsim dicere lubet. Serum abundare posse, ipsius excretiones in statu secundum naturam institutæ satis abunde testantur, uti ex superioribus patet. Has Ergo excretiones ceu præter naturales minime aspiciat Medicus, & hinc etiam non imprudenter supprimat, sed excedentes tantum imminuat, minus rite procedentes & suppressas stimulet & promoveat.

§. 2. Sudoris excretio omnium maxime solennis est, quare si hæc nimia copia peccat, Medicus prius probe inquiret in causam ejusdem. Si sudores fuerint hectici, ad morbum primarium respiciat. Sin vero ad imminuendam tantum seri quantitatem à natura instituuntur & nihilominus excedunt, diaphoretica fixa & nitrosa sacra sunt anchora; quamvis & in hecticorum sudoribus conducant. In omni quoque casu diluentia, temperantia, Emulsiones &c. profunt, quæ scilicet impetum \ominus ino \triangle rearum partium, à quarum copia sudores maximam partem dependent, infringere possunt.

§. 3. Ad seri excretionem liceat quoque referre diarrhœas spontaneas, quæ si absque notabili virium dispendio contingunt, nunquam supprimi debent; Spectator hic potius sit Medicus, & fervorem tantum humorum, qui plerumque junctus est per absorbentia, quibus nitrosa refracta dosi addi possunt, temperet. Sin vero excedunt hujusmodi diarrhœæ, diaphoretica exhibita omnem absolvunt paginam. **Quodsi**

vero

vero partes acres Θ ino volatiles, quæ alias per diaphoresin excerni solent, per errorem quendam naturæ & inverso ordine ad intestina depositæ fuerint, & diarrhœam excitaverint cruentam sive Dysenteriam, Medicus errorem huncce omni studio corrigere debet, ne majorem inde labem concipiant intestina; quo in casu præter absorbentia, temperantia & ipsa quoque nitrosa, causticas particulas blande abstergentia & evacuantia, inter quæ primas tenet Rhabarbarum, profunt, quæ pro circumstantiarum ratione repetitis quoque vicibus exhiberi possunt; postea vero unice profunt diaphoretica, quæ particulas causticas ad cutim propellunt, omnibus vero facile palmam præripit Diascordium. Silentio prætereo alias feri partim fluxilioris, partim mucosi excretiones, quarum excessum Medicus facile temperare poterit.

§. 4. Cum vero serum sit portio sanguinis excrementitia, facile liquet ejusdem retentionem non levia excipere mala; si enim hinc inde in variis partibus stagnat, sequuntur Cachexia, Leucophlegmatia, Anasarca, Ascites, Hydrocephalus, Hydrops pectoris, Oedema Pedum &c. In quibus malis curandis, cum naturæ motus admodum sint languidi, Medici opera quam maxime desideratur. Quare eo potissimum respiciat, ut serum fluxile reddatur, quo per commoda colatoria secerni & excerni queat. Quem in finem noduli laxantes & incidentes ab initio profunt, quoniam serum crassius per intestina evacuari optime potest: postea vero Diuretica & tandem Diaphoretica conveniunt; quos gradus nisi quis observaverit, nunquam in affectuum horum cura feliciter procedet. Cum vero fibræ quoque admodum sint laxæ & robore indigeant, tonica quoque & inprimis \mathcal{J} tialia rite præparata & prudenter exhibita summo cum fructu usurpantur. Quando autem serum stagnans in cavitates fuerit effusum, evacuatio feri interdum locum habet, quam natura interdum quoque summo cum fructu instituit; quem in finem Paracentesis abdominis, Thoracis, Scroti & Hydrocephali sectio, ut & pedum Scarificatio institui potest; Ubi vero Gangrænæ signa jam apparent,

ab

ab hisce operationibus abstineat Medicus, ne mortem acceleret.

§. 5. Serum quoque stagnans interdum corrumpitur, unde variæ postmodum cutis exulcerationes sequuntur; in quarum cura hæc potissimum à Medico observanda sunt, ut serum vitiosum per remedia absorbentia, diaphoretica, incidentia & balsamica corrigatur, sic enim postmodum à natura eo commodius in convenientibus colatoriis secerni & excerni potest. In hisce tamen externe quoque naturæ succurrendum est, talibus scilicet, quæ abstergendi & consolidandi potentiam habent, de quibus consuli possunt Practici. Maxime tamen abstinendum est ab iis, quæ ullo modo impuritates à partibus externis ad internas retropellere possunt, quoniam asthmata & inflammationes partium internarum periculosissimæ sequuntur.

MEMBRUM III.

DE

MOTUUM EXCESSU ET DEFECTU.

§. I.

Quamvis motibus in corpore omnia peragantur, nonnunquam tamen ii vel excedunt, vel imminuuntur vel profus deficient, unde non possunt non effectus præter naturales sequi; In utrisque Medici opera requiritur, in prioribus quidem, ut motus excedentes mitiget, in posterioribus vero ut motus excitet. Sed in multis horum affectuum Medicus sæpius oleum & operam perdit, cum enim natura hic potissimum peccet, in quam Medicus parum imperii habet, per se liquet, Medicum hic loci sæpissime parum vel nihil efficere posse: quare etiam in nullo affectuum genere plures quam in hoc morbi reperiuntur incurabiles.

§. 2. Mo-

§. 2. Motus excedentes inter se differunt, alii enim fiunt tractione quadam fibrarum pertinaci, ita ut membrum eandem obtineat figuram, quam musculus contractus ipsi conciliavit: alii autem fiunt cum succussione, sive frequenti & vehementi, sed momentanea tractione & relaxatione. In utrisque respiciendum est, an aliqua causa materialis subsit, quæ Naturæ ad hosce violentos motus suscipiendos ansam præbeat: frequentissime enim hujusmodi affectibus obnoxii sunt plethorici & ad sanguinis ebullitiones proni, inprimis vero diætæ vinosæ assueti: unde etiam nonnunquam sola sanguinis missione epilepsia vel præcaveri vel mitior reddi potest. Nonnunquam etiam vermes in primis viis hærentes, naturæ occasionem præbent hujusmodi motus excitandi: nonnunquam etiam miasmata venenata in petechialibus febribus ut & variolis à peripheria corporis recedentia in causa sunt, quæ natura fortissimis motibus expellere conatur.

§. 3. In hisce Ergo vel mitigandis vel curandis, Medicus ad hujusmodi causas materiales respicere debet & ubi plethora peccat, ea inprimis circa novilunia & plenilunia (quipus temporibus hi affectus magis affligunt) vel V. S. vel scarificatione vel hirudinibus imminuenda est; imo nonnunquam in ipso Paroxyfmo Vena summo cum fructu secta fuit. Si vermes in causa sunt, unicum sæpe purgans Mercuriale omnem tollit epilepsiam. In convulsionibus à petechiis retrocedentibus nonnunquam profunt alexipharmaca, plerumque tamen hisce apparentibus mors in propinquo est. Quod si v. jam in consuetudinem quasi abierit epilepsia, remedia vulgaria parum vel nihil efficiunt, & longe efficaciora requiruntur remedia, Naturam ipsam confortantia vel falsam conceptam ideam alterantia, quem in finem Richterius commendat Essentiam dulcem ex auro paratam.

§. 4. Eadem curandi difficultas occurrit, quando motus imminuuntur, uti in tremore artuum paralytico, aut ubi prorsus deficient, uti in Paralyfi, Apoplexia, & huic affinibus affectibus soporosis: quamvis enim Lethargici aut Comate affecti sæpius curentur; paucissimi tamen Apoplectici & Paralytici

lytici evadunt. Unde Medico semper ante oculos versetur Regula Practica à Celeberrimo Stahlio Theor. Med. Part. 2. p. 343. Tradita: Quod scilicet eorum affectuum, qui naturæ energia non restituantur, artificialis & methodica curatio nulla quoque sit. Et quamvis quædam per fortiores animi passionnes curatorum occurrant affectuum exempla, nihil tamen commodi inde sperare potest Medicus, quippe cui nulla animi affectus, opere remediorum excitandi concessa est facultas. Quare hic Medici Practici arbitrio relinquitur negotium, si non totum quoad maximam tamen partem. V. Sectiones interdum aliquid efficiunt, interdum vomitoria, interdum externa spiritalia, plerumque tamen frustra laborat Medicus.

MEMBRUM IV.
DE
FEBRIBUS.

§. I.

CUM nullus morbus adeo frequenter corripiat homines & facile quoque se associet aliis morbis, quam Febris, ideo etiam res maximi momenti est, & magnam Medici postulat attentionem; si enim naturæ non rite succurrit, ea facile in levibus febribus succumbere potest.

§. 2. Maxime autem respiciendum est ad naturam ipsarum febrium, an scilicet natura continuo in expellenda heterogenea materia occupata sit, an vero certis tantum temporibus ejusdem expulsionem moliat. Priori in casu Medicus continuo vigilare & naturam operantem adjuvare debet, idque omnium maxime in continuarum exacerbatione: cum enim tum temporis naturam cooperantem habeat, longe facilius quoque sine suo potiri potest. Sed in ipsa exacerbatione probe attendat necesse est, an natura in motibus excedat, an vero deficiat: excessus hujusmodi frequentissime conspiciuntur in cholericis, cum è contra in melancholicis & phlegmaticis defe-

defectus magis notentur. Utroque in casu Medicus naturæ succurrere debet, in priori quidem diaphoreticis fixis, nitrosis, diluentibus, acidulis &c. in posteriori vero cardiacis & diaphoreticis fixis, quibus tamen volatilia in refracta dosi addi possunt, quo natura eo facilius sine suo potiri queat. In omnibus enim hisce febribus Natura materiæ heterogenæ correctionem, secretionem & promptam excretionem intendit. Et cum materia febrilis non tantum in ipso sanguine, sed etiam frequentius in ipsis primis viis hæreat, inibique ob concurrentem bilis acrimoniam magnis turbis sæpissime ansam præbeat, Medicus, si natura per diarrhœas spontaneas eam non expellit, eidem ferat opem blandis laxantibus: in omnibus enim febribus continuis præstat alvum lubricam, quam ad strictam esse. Imo accuratissimi Practici observarunt, naturam quoque in febribus exanthematicis nonnunquam summo cum fructu diarrhœam excitare: quo ipso permoti in ipsis quoque petechialibus febribus lenia purgantia ægris præscribere.

§. 3. Deinde etiam Medicus probe consideret naturam febrium continuarum, durationem & imprimis mutationes earundem, quæ plerumque septenariis & semiseptenariis contingere solent diebus: & si natura hisce diebus evacuationem quandam molitur, eandem inepta curatione non turbet, sed potius adjuvet, probe attendendo ad locum, per quem natura excretionem molitur. Ex quo etiam illud maxime necessarium fuit, naturam nunquam ad excretionem in febribus exanthematicis cogendam, sed potius blande adjuvandam esse, quo diebus consuetis illud quod molestum est, expellere queat. De V. S. in febribus continuis illud in genere notandum est, eam quidem præsentem Plethora etiam in statu morbi administrari posse, præstare tamen in principio eam secare.

§. 4. In intermittentibus febribus itidem Medici officium requirit, ut in ipso paroxysmo naturæ præcipue opem ferat: in hisce autem materia febrilis, quam Natura magno conatu ejicere cupit, plerumque visciditate peccat, quare etiam insignem humorum copiam ad primas vias

mittit, ut eo facilius dilui & vel per vomitum vel per diarrhoeam excerni possit. Quo Ergo natura eo facilius sine suo potiri queat, incipiente paroxysmo incidentia \ominus ina cum diluentibus ægrotis exhibeat Medicus, hæc enim omnem visciditatem optime resolvunt: accedente vero calore lenia diaphoretica fixa cum \ominus inis & \oplus is remixta frequentius det, quo sudor eo melius procedere queat, quo citius enim & facilius sudor excernitur, eo citius etiam & Paroxysmus & febris universum suum ambitum absolvit. Cum vero expulsa etiam materia Natura nihilominus interdum motus febriles excitet, Medicus eosdem sedare conetur vulgo sic dictis specificis Febrifugis, quæ tamen ante quartum Paroxysmum, aut quando febris impetus aliquando remittit, nunquam exhibeat, ne per imprudentem febris suppressionem aliis gravioribus morbis aniam præbeat. Remedia quæ Medici intentioni satisfaciunt, sunt potissimum China Chinæ, & quæ hancce adhuc superat Chacarilla, utpote quæ & roborando & incidendo agit, cum è contra altera adstringendo magis operationem suam absolvat, & sic facile portionem materiæ febrilis partibus includat, quæ postmodum vel recidivam vel alia mala causatur. Ubi vero motus febriles sunt languidi & materia est admodum viscida, ab omnibus sistentibus absteineat, & potius per incidentia & roborantia partim materiam præparet, partim vero naturæ succurrat, quo hoc modo eo facilius materiæ febrilis correctio, secretio & excretio contingere queat.

§. 5, In febribus Lentis, quæ plerumque febres tam continuas quam intermittentes male curatas sequuntur, & hinc etiam earundem typum, quamvis obscure, adhuc servant, potissimum ad morbum primarium respiciat Medicus, & si forsitan adhuc aliquid materiæ febrilis relictum fuerit, illud corrigere & ad exitum disponere per diluentia & incidentia conetur. In febre autem hectica, in qua plerumque hepar simul affectum esse probabile mihi videtur, gradus febris hecticæ observet an in primo, secundo vel tertio versetur, sic enim facile perspiciet, an adhuc naturæ succurrere queat: primo enim

in gradu hecticam facile, in secundo difficulter, in tertio prorsus non curari, unanimis Practicorum est consensus. In hisce febribus, cum totum corpus caleat, & aridum sit, nulla magis profunt quam diluentia & temperantia, v. g. Gelatina C.C. cum amygdalis dulcibus parata, decoctum hordei, potus sufficiens &c. utpote quæ & particulas Areas biliosas in M. S. abundantes temperant & gelatinosas particulas, quas Areas continuo absumunt, sanguini concedunt. Imo hepar etiam, quod in dissectis cadaveribus utpl. aridum deprehensum fuit, emolliunt, unde pori denuo aperiuntur, ut bilis, quæ iisdem constrictis in sanguine permanebat, denuo secerni & ad intestina deponi queat.

MEMBRUM V.

DE

LÆSIONIBUS PARTIUM
SOLIDARUM.

§. I.

EX hætenus dictis apparet, Naturam in multis morbis Medici ope opus habere, magis autem adhuc desideratur Medici opera in læsionibus quam plurimis partium solidarum, ubi, quamvis Natura etiam aliquo modo concurrat, magis tamen plerumque præstat Medicus quam ipsa Natura: id quod manifeste videmus in Luxationibus, Fracturis, Membris incurvatis, Extirpatione partium superfluarum aut corruptarum, Meatum p.n. occlusionem &c. in quibus Natura absque Medici ope nihil efficere potest.

§. 2. Quare in hisce casibus membra luxata aut fracta debito modo restituat, ac ferulis & fasciis firmet, reliquum vero naturæ committat, hæc enim & hic aliquid agit, quod maximi momenti est, partibus enim luxatis sensim sensimque robur conciliat, ut postmodum ossa in situ suo naturali conservari queant: fracta vero ossa glutine naturali sive callo ita

conglutinatur, ut eo in loco amplius frangi nequeant. Pari modo se res habet in cancrorum vel sphacelatarum partium extirpatione, quamvis enim hic Medicus multa præstet, Natura tamen, uti in aliis, ita & hic concurrat, hæc enim, si modo Medicus impedimenta removet, partes consolidat & carne sana, quæ injuriis externis resistere valet, claudit. Idem esto iudicium de vulneribus, in quibus Medicus ad deformitatem præcavendam labia vel per suturas vel per Emplastra glutinantia unit, consolidationem enim Natura ipsa absolvit. Ut alia quam plura silentio præteream.

§. 3. Ex hæcenus Ergo dictis apparet, Naturam ubique in corpore præsentem esse, omnibusque corporis necessitatibus prospicere, in omni autem statu tam sano quam morbofo certa Methodo uti, & sæpissime etiam quamvis non semper fine suo potiri. Quare omnes Medici si veri Naturæ filii & Ministri esse cupiunt, id unice agant, ut hanc Naturæ Methodum memoriæ fortissime imprimant, sic enim officio suo quam maxime satis facient: qui vero secus processerint, & principia sua non ipsi Naturæ, sed potius inverso ordine Naturam præconceptis principiis accommodare volunt, ii certissimum illud aliquando experientur: Optimos Theoreticos malos esse Practicos.

Hæc B. L. de Operationibus Naturæ in corpore & de Medico ejusdem Ministro hac vice sufficient: potuissent quidem plura addi, plura exactius tradi: sed cum ex hæcenus dictis B. L. facile perspicere possit, quam difficilis, quam profunda ac quam ampla hæc sit materia, facile veniam me impetraturum spero, si meam imbecillitatem ad exacte tractandam nobilissimam hancce materiam & angustiam paginarum ad excipiendam eam minus sufficere libere profiteor. Tibi tandem Summe Naturæ Magister & Architecte DEUS
T. O. M. sit Laus, Honor & Gloria
in sempiternum.

D. GEORGII PHILIPPI NENTERI
Practici Argentinensis

EPISTOLA

DE

STATU MEDICINÆ
MODERNÆ

Ad

Nobilissimum & Clarissimum

DOMINUM

JOH. NICOLAUM GROSHOLTZ,
Medicinæ Candid.

DE

MEDICO NATURÆ MINISTRO
Disputantem.



FX quo subtilis ille Philosophiæ Re-
formator Cartesius principiis mechanicis Physicam
superstruere cepit, non Physicæ tantum sed & Medi-
cinæ facies maxime mutata fuit: Macrocosmus enim
(ut quædam exempli loco proferam) vi horum prin-
cipiorum mechanicè movebatur, vortices varii
in cœlo constituebantur: & cum in mentem rationa-
lem & materiam brutam omnia dividerentur, bruta mente carentia
mechanicè tantum considerabantur, & in meras machinas mutabantur:
omnis cognitio ipsis adimebatur cum sensibus: canis carnem præ pane
eligens aut flagellum fugiens, vi solius mechanisimi hæc omnia perage-
bat; effluvia enim carnis canis nares intrantia, spiritus in papillulis ner-
veis contentos blande movebant, qui ad cerebrum recurrentes in eo cer-
tum quendam excitabant motum, cujus ope Spiritus ad pedes canis mo-
vebantur, & musculos inflabant, undè breviores redditi pedes attolle-
bant, & sic machinam caninam propius carni admovebant: alii autem
spiritus eodem momento subito ad musculos oris fluebant, os dilata-
bant, ac carni propius admotum iterum constringebant: Ex flagello ve-
ro nescio qui radii aut quænam effluvia noxia prodibant, qui canem ad
fugam capeffendam disponebant: nullus hic appetitus, nulla electio,
nullus metus, solus mechanismus in causa erat; quot enim in animalibus
viscera, tot quasi rotæ, quot nervi, tot funes, quot muscoli, tot ve-
stes: nulla hic requirebatur anima, aër ex innumeris partibus ramosis
compositus cum intersperso æthere elasticus, ad motus hosce insti-
tuendos & dirigendos sufficiebat. Non contentus erat Cartesius cum
affectis hæc brutorum transformatione, hominem quoque mutabant,
anima per plura secula corporis gubernatrix credita, de folio deturbaba-
tur, sedes ejus mutabatur, sordidæ cerebri glandulæ pineali, seu cerebri
peni includebatur, inter cerebri nates & anum residere cogebatur: quo
vero per sensus externos objecta externa cognoscere posset, nervorum
principia novo prorsus modo ad glandulam pinealem dirigebantur:
hic anima tantum COGITABAT, unita quidem erat corpori, sed parva
tantum ipsi concedebatur potentia in corpus suum, corpus vitam pro-
prium vivebat, mechanicè omnia procedebant uti in molendino; ani-
ma non amplius intelligebat linguam corporis, nec hoc animæ linguam,
undè spiritibus interpretibus opus erat. Humores corporis tanquam

congeries particularum triangularium, quadrangularium, rotundarum, oblongarum &c. considerabantur, & ut eò facilius perviscerum poros moveri possent, pori quoque mutabantur, undè in hocce viscere triangulares, in illo alii supponebantur. In medicamentis itidem hujusmodi varia hamata, polyedra, acuta & nescio quæ alia supponebantur, ut eò comodius rodere, vellicare, irritare &c. possent. Hæc omnia ut veritati consona esse demonstrarent, varia instrumenta, antlias, siphones, thermometra &c. producebant. Hæc & multa alia ceu summè proficua & maxime necessaria exclamabant, & consentientibus Medicis in Scholas introducebant: & cum apud Veteres nihil horum reperiretur, ignorantia accusabantur: Natura morborum curatrix ab iisdem introducta ceu Idolum rejiciebatur, crisis non amplius opus erat: nulla hic historia morborum fiebat mentio, omnes in eo toti erant, ut rationes ex hac Philosophia redderent Phanomenorum in Medicina occurrentium: & cum per omnia principia hæc non quadrarent, res potius ipsa quam rationes negligebantur: undè sensim eveniebat, ut experientia rerum magistra indomita rationi postponeretur; nulla amplius Veterum & Hippocratis ipsius erat Authoritas, falsitatis & absurditatis ab iis arguebatur, qui ne primis quidem labris Medicinam degustarant; ut alia quam plura silentio præteream.

Hæc erat, Nobilissime Domine Candidate, superioribus temporibus Medicinæ facies, quam si nostris temporibus multum mutari credis, falleris quam maxime, eadem enim adhuc luditur fabula: quo vero eò melius perversum Medicinæ modernæ statum comprehendere queas, ab ovo, quod ajunt, rem ordiar: nil autem dicam de lingua Latina atque Græca Medico ad facilius addiscendam Medicinam maxime necessaria, nil proferam de Logica, Methaphysica aliisque ad Medicinam parum conferentibus: dicam potius de iis quæ propius cum Medicina habent aut saltem habere debent commercium: Physica inter hæc primas tenet, & etiam vulgò ceu fundamentum Medicinæ primarium supponitur: allegatur hunc in finem Hippocr. Lib. de Sterilibus ubi Medico præcipit: *Conare ut Physicus evadas.* Cum vero Physica moderna tota quanta sit mechanica, ac ideò etiam Mathesin præsupponat, facile perspicias & Medicinam nostram mechanicam esse & ad explicanda varia phænomena particulis variis, vectibus, funibus, antliis, siphonibus &c. opus habere. Quamvis autem hæc hodierno die ita firmiter stabilita sint, ut de iisdem dubitare, ferè piaculum sit, nihilominus tamen, si res diligentius examinatur, facile apparet, non sine ratione dubitari

tari posse de veritate hujus suppositi. Hippocrates enim quando Physicam Medico commendat, non de Universalī, sed de Particulari Physica Hominis loquitur, expresse enim dicit l.c. §. 18. *Caterum conare ut Physicus sis, ad hominis habitum ac robur respiciens.* Quis autem exindē non videt, sensum Hippocratis, de natura humana tantum loquentis, nimis extendi. Præterea si inquirimus in usum, quem Medicus exindē haurit, tantus non est ac vulgò supponitur: quam enim utilitatem Medicus habere potest ex doctrina Principiorum Physicorum quorumcunque? quid ex doctrina qualitatum, sono, lumine reflexo & refracto? cui bono systema mundi Tychonianum, Copernicanum? cui bono magnitudo & distantia Solis, Lunæ, Mercurii, Saturni, Jovis eorumque Satellitum: quamnam utilitatem expectare potest ex controversiis de loco & tempore? cui bono controversiæ de Terra, an planeta sit, an rotunda, an ovalis? an Cometæ sint stellæ novæ, an vero eandem cum reliquis originem habeant? quid prodest materia striata Cartesii, ferrum versus magnetem protrudens? quid ignes subterranei terræ motus producentes? quid controversiæ de tonitru? ut infinita alia taceam, quæ in Praxi Medica idem valent ac Ars Pictoria. Noli tamen credere, ac si Physicam contemnam & prorsus inutilem Medico censeam, Physica per se considerata est Scientia jucundissima, & non pauca in ea deprehenduntur, quibus Medicus carere nequit; quæ enim h.l. prolata fuere, ea tantum, quæ Medico non sunt necessaria, concernunt. Si vero multa sunt in Physica quæ Medico impedimento sunt, non minor numerus occurrit in Botanica; hanc Medico necessariam esse omnes quidem largiuntur, sed si simpliciter id intelligunt, plus damni, quam emolumenti indē expectabit Medicus; nam ut nil dicam de diffidiis Botanicorum, dum alius hoc, alius alio modo plantas dividit, quodnam commodum Medicus Practicus percipit ex divisione florum in Monopetalos, Tripetalos, Hexapetalos, eosque vel Barbatos, Barba simplici, divisa quadripartita, vel Galeatos vel Clausos! quid ad Medicum, an caulis sit Triquetrus, Quadrangulosus? an folium sit Laciniatum, Serratum, Denticulatum? an Capsulæ sint Siliquosæ, an Siliculosæ, exque vel asperifoliæ, verticillatæ, Bicapsulares, Tricapsulares? sufficit Medico cognitio virtutis officinalium plantarum, ultra quam Botanica Medica non extendi debet.

Quid dicam de Anatomia & Chymia? Anatomicus suam scientiam, Chymicus itidem suam commendat, & uterque exactam notitiam à Medico postulat, sed quam plura & in hisce artibus reperiantur superflua

flua, è quibus parum utilitatis Medicus percipere potest, cordati Practici jamdudum agnovere.

Et ut propius jam ad ipsam Medicinam accedam, quot inania quæso deprehenduntur in Physiologia, quam tamen maxime excultam plerique existimant, nil minus enim est quam Medica Physiologia: Physica potius est hominis centemplatio, ex qua Medico Practico paucissima aliquam afferunt utilitatem. Cui bono enim profixæ istæ tractationes de sensibus tam internis, quam externis? cui bono disceptationes de abstruso conceptionis negotio? cui bono confusa & proluxa tractatio de spiritibus animalibus? ut alia taceam. Quid de Pathologia ipsa dicam; quæ tamen basis Praxeos esse debet? quot inania & in hacce reperiuntur, fere enim tota Generalis tractatio inanis est: quam inanes sunt controversiæ, an morbus sit substantia an accidens? quam inanes sunt innumeræ generales morborum divisiones? quot superfluxæ divisiones occurrunt in classe morborum conformationis? quid Medico interest, an causa sit per se, an per accidens, an positiva an privativa? & quæ sunt alia. De Semiotica Medico Practico maxime necessaria quid dicam? negligitur hæc à quam plurimis; Prognosis, quæ Medicum reddit verè *ισόθεον*, apud plurimos est res obscura: verbo uti in aliis excessus, ita in hacce defectus reprehensionem meretur.

Qui de veritate hujus asserti dubitat, evolvat solummodo Authores Practicos Recentiores: quæ enim in multis historiæ morborum est sterilitas, præter pauca signa diagnostica & Prognostica nihil ibidem notatu dignum reperies: parce admodum & superficialiter antecedentium & concomitantium fit mentio; de morborum exitu sive salutari sive funesto, de eorum conversione in alios morbos, de signis & causis hujus mutationis, altum plerumque est silentium: de longitudine pariter speciali morborum, de signis perpetuo morbum concomitantibus, deque aliis respectu temperamentorum & anni temporum certis morbi temporibus superverientibus paucissimi loquuntur; quæ omnia tamen, quam utilitatem in Praxi vera habeant, ii, qui altius introspexere aut intro spicere in Praxin Medicam gestiunt, intelligunt.

Quis Pharmaciæ sit status jamdudum cordati Practici conquesti sunt; hæc si brevissimis verbis describi debet, est nil nisi farrago plurimorum & inconditorum remediorum, quam quilibet pro lubitu auget, in qua tamen remediorum copia maxima inopia laboramus. Quod de Semiotica dictum est, valet quoque de Chirurgia, plerique Medicorum

eam ceu artem Chirurgis cenceffam considerant, & hinc eam negligunt; Chirurghi verò quantos in ea faciant progressus triftis docet experientia.

Hæ funt partes quibus Medicus opus habet, fi vero exactè eas considerabis & inutilia ab utilibus separabis, facili negotio deprehendes ad nil magni totam Medicinam recidere & quamvis de Medicina maxime exulta gloriemur, nihilominus miserrimum ejus esse statum faciliè perfpicies. Querelas quotidie audimus, Medicum parum utilitatis ex Theoria haurire poffe, Bonum Theoreticum malum esse Practicum: hunc vel illum esse Optimum Anatomicum, Phyticum Celeberimum, Botanicum incomparabilem & nihilominus in Praxi esse infelicem: quanam quæfo alia est caufa, quam incondita Theoria cum Praxi non cohærens. Optandum fane effet, ut cordatis Viris Sydenhamio, Baglivo, Stahllo aliisque patulas præberemus aures & innumeros Medicinæ navos agnosceremus, sed furdis plerumque narratur fabula: nimis rigorosi hi funt monitores, obfcuritatis arguuntur, aliisque convitiis profcinduntur: unde etiam non est mirandum, fi in Praxi nullus fit progressus. Plerique enim contenti funt superficialia morborum cognitione & caufarum morbificarum fictione, altius autem introfpicere superfluum existimant: fufficit illis, fi formulas varias morbis opponere, & vel acidum quippiam vel austerum vel nescio aliud inconditum quid ubique prætereendere poffunt. Altior fanè res est Praxis Medica, quam quidem vulgò cenfetur, quæ attentam ubique meretur considerationem. Veteres id jam dudum agnoverunt, undè etiam omnia phænomena morborum fideliffime confignarunt: quam ob rationem etiam pluris æftimo unicum è Veteribus, quam centum Recentiores Medicos Philosophos; Evolvat quis Forestum, Pifonem, Mercurialem, Ballonium, Lælium à Fonte aliosque, & faciliè me veritatem dixiffe deprehendet.

Si E. Progressus in Praxi fieri debet, ante omnia ad naturam corporis humani attendendum est & videndum, qua methodo ea utatur in confervatione corporis fui, & quibus modis morbis obviam eat: deindè, considerandum quibus modis naturæ succurri poffit, quænam remedia naturæ intentioni fatis faciant & quæ funt alia. Sed cum Tua, Nobiliffime Domine Candidate, de hisce proluxe agat Differtatio, plura addere superfluum foret: Perge in hoc stadio & affidua diligentia in Naturæ methodum inquire, fic eniam aliquando verus Naturæ fies Minister. Vale.

Dabam è Mufæo

die 18. Febr.

1713.

